vtraque manu regunt, ſcribendum, *gerunt*; hercle non ſcriptum vellem. fateor enim erraſſe me: & recipio. Puriſſime enim dicitur, *Regere gladium*, pro eo quod vulgo effertur, *manier vne eſpée*. Errati veniam precor, quo me tibi & inſcitiam meam prodidi nimis. Hoc ſolatium meũ, & excuſationis apud te meæ ſumma, *Homo ſum*. Vale, mi lectiſſime Lecti, & ſi me redamas, teſtare amorem tuum frequentibus literis. Raptim, Auarici Biturigum. Eid. Mart. CIↃ. IↃ. LXXXV.

EPIST. LXXXIX.

Geneuam.

Hieronymus Groslotius Lislæus Iacobo Lectio IC. S. P. D.

DVo menſes ſunt, & quod excurrit, mi Lecti, ex quo adueni in hanc vrbem audiẽdi magni Papiniani noſtri; qui, quod eſt mihi ſemper aduerſum fatum, me vix dum ingreſſo hanc vrbem, decubuit à grauiſſimo morbo, vt per aliquot dies deſperata iacuerit ſalus eius. Sed illum ſeruauit, opinor, Iurisperitus Apollo; ætatem vero precor, ſeruet incolumen nobis, in primis mihi, ac Reipub. illius viri obitu maximum ornamentũ amiſſuræ. Mihi certe nõ vnus homo, ſed literæ ipſę omneſq; bonæ artes in vno homine ſummũ periculũ adire videbantur. Sed laus Deo, nũc con-

Iacobi Cuiacii ſcilicet.